



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Q. 297. Vtrum Summus Pontifex possit dispensare in matrimonio rato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

tum potest dissolui, quando vnus tantum coniugum conuertitur ad fidem; ergo &c. Secundo, quia sapientissimi ethnici, ac praeclarissimi inuestigatores iuris naturalis putarunt licitum esse repudium; ergo &c. Tertio Matthæi 19. cum Christus tulisset legem de omnimoda matrimonij indissolubilitate, ac dixisset, *qui aliam duxerit, moechatur*, discipuli mirati sunt, tanquam de re noua, ac dixerunt, *si ita est, non expedit nubere*; ergo censuerunt hanc indissolubilitatem non esse de iure naturæ. Quarto maiorem indissolubilitatem habet matrimonium ex eo, quod sit sacramentum, quam ex eo, quod sit contractus merè ciuilib, vt omnes fatentur; sed ex eo, quod sit sacramentum, non habet omnimodam indissolubilitatem, vt iam probabitur; ergo &c.

6. Secundo igitur probatur matrimonio non conuenire omnimodam indissolubilitatem ratione sacramentij. Nam etiam matrimonium ratum est sacramentum; sed matrimonium ratum dissolui potest per professionem religiosam, immo & per Pontificiam dispensationem, vt cum pluribus auctoribus dicitur qu. 297.

7. Hinc iam probatur vltima pars, nimirum matrimonio consummato conuenire omnimodam indissolubilitatem iure diuino positiuo, ratione significationis, qua significat vnionem indissolubilem inter Christum, & Ecclesiam per carnem assumptam. Primo enim hanc rationem huius indissolubilitatis affert Augustinus lib. de bono coniugali cap. 7. 15. 18. & 24. Secundo: nam defectu huius significationis matrimonium ratum non habet omnimodam indissolubilitatem. Hinc inferitur hanc omnimodam indissolubilitatem non conuenire matrimonio consummato ex iure naturæ, sed ex præcepto Christi positiuo imposto per illa verba Matthæi 19. *quos Deus coniunxit, homo non separet*.

8. Queritur, quænam indissolubilitas conueniat matrimonio iure naturæ.

Respondeo, quod talis indissolubilitas consistit in hoc, quod cum alij contractus possint mutuo consensu dissolui, matrimonium ex sua natura non potest mutuo consensu dissolui, sed solum potest dissolui à causa superiori.

QVÆSTIO CCXCVII.

Virum Summus Pontifex possit dispensare in matrimonio rato?

1. **N**Egant abiqui non pauci. Dicendum, nihilominus posse auctoritate Summi Pontificis dispensari matrimonium ratum, & non consummatum, ita vt eius vinculo soluto, possint liberè coniuges aliud matrimonium inire. Probatur primò: nam in dubijs sententiæ superiorum standum est, cap. ad aures de temporibus ordinat. & cap. quid culpatur 23. quaest. 1. & maxime Pontificis, cui Spiritus Sanctus magis assistit; sed

Pontifices sæpè dispensarunt; ergo &c. Secundo Christus, qui in necessariis non desicit, dedit suo Vicario plenam potestatem ad ea, quæ bono Ecclesiæ regimini necessaria sunt; sed potestas dispensandi in matrimonio rato erat valdè necessaria in Ecclesia; sæpè enim dissoluto matrimonio rato, tolluntur multa scandala; ergo &c. Tertio potest Pontifex dispensare in voto solemnij religionis; sed votum solemne religionis est fortius vinculum, cum dissoluat matrimonium ratum; ergo Pontifex poterit etiam dissoluerè matrimonium ratum. Nam *si vincum vincem te, à fortiori vincam te* l. de accessionibus ff. de diuer. & temporal. præscript. Quarto demum cum matrimonium ratum non habeat omnimodam indissolubilitatem, non est, cur Pontifex non possit illud dissoluerè. Ex opposita ratione non potest dissoluerè matrimonium consummatum, vt malè dixerunt aliqui iuris periti.

2. Queritur, vtrum Pontifex possit vniuersim statuere, vt matrimonium ratum dirimatur per subsequens copula consummatum. Affirmant aliqui. Dicendum nihilominus, quod non potest; esset enim quedam dissipatio, & daretur occasio per iniuriam dirimendi matrimonia rata, contrahendo, & consummando aliud; nec est verisimile Christum dedisse hanc potestatem, quæ tendit in destructionem.

3. Licet probabile sit valere dispensationem Pontificis in matrimonio rato absque iusta causa, probabilius tamen est talem dispensationem esse inualidam. Ratio est, quia Christus dedit Pontifici hanc potestatem in ædificationem, non in destructionem. Vt tamen Pontifex dispense in matrimonio rato, non desideratur mutuo coniugum consensus. Nam si detur iusta causa dispensandi, repugnantia alterius non potest Pontificiam potestatem impedire, ne dispense, & alteri coniugi detur Ius transeundi ad aliud matrimonium.

4. Queritur primò, quænam sint cause sufficientes ad hoc, vt Pontifex dispense in matrimonio rato.

Respondeo Abbatem, & quosdam alios dixisse non satis esse quamlibet causam iustam, sed debere esse similem causæ expressæ in iure cap. 2. de conuersatione coniugum, quæ causa est religionis ingressus. Dicendum nihilominus sufficere alias etiam causas iustas. Prima ergo causa iusta dispensandi in matrimonio rato est notabilis in qualitate disparitas, quando scilicet contrahentes sunt notabiliter conditione impares, & affectione cæca, & quadam leuitate matrimonium inierunt. Secunda est gravis timor magni scandali futuri. Hinc sequitur esse iustam causam dispensandi, quando vir omni conatu querit uxorem expellere, absque sanioris mentis probabili spe. Tertia est lepra alteri coniugum superueniens. Ratio est, quia lepra

pra impedit mutuum vsum coniugum ad sobolem propagandam, qui vsum est finis matrimonij. Quarta est impotentia superveniens ante matrimonium consummatum. Quinta est, dum alter coniugum dicit se non habuisse animum contrahendi, nec potest induci ad verè consentiendum. Aliqui addunt sextam causam, quæ est mutuus consensus coniugum matrimonium dissolvendi. Verum Sanchez lib. 2. disput. 16. num. 9. existimat mutuum consensum non sufficere ad dispensandum in matrimonio rato, nisi cum coniuges essent ita discordes, vt infelix exitus matrimonij timeretur.

5. Quæritur secundo, vtrum Pontifex possit dispensare in matrimonio consummato infidelium, dum ambo baptizantur.

Respondeo affirmatiuè cum Nauarro, & Sanchez lib. 2. disput. 17. num. 2. Ratio est, quia maiorem indissolubilitatem habet matrimonium ratum fidelium, quod non solum est contractus, sed etiam sacramentum, quam matrimonium consummatum infidelium, quod est purus contractus, non autem sacramentum; sed Pontifex potest dispensare in illo; ergo etiam in hoc. Licet autem matrimonium infidelium, dum ambo baptizantur, euadat sacramentum, vt dictum est qu. 204. num. 4. tamen euadit solum matrimonium ratum; ergo ante copulam post baptismum potest dispensari, sicut alia matrimonia rata fidelium.

QVÆSTIO CCXCVIII.

Virum, & quo Iure per professionem Religionis dissoluatur matrimonium ratum.

1. Aliqui dixerunt professione non dirimi vinculum matrimonij rati, sed manere inefficax, ita vt manens in sæculo possit inire aliud matrimonium, & hanc sententiam sequutus est Hearicus de Gandauo. Alij asseruerunt dirimi quidem vinculum, non tamen statim professione sequuta, sed dum manens in sæculo alio alligatur matrimonio.

2. Dicendum nihilominus: vinculum matrimonij rati omninò dirimitur solemnè professione alterius coniugis, & coniux manens in sæculo est omninò solutus à vinculo, potestque liberè ad alias nuptias transire. Conclusio est de fide, definita ab Eusebio Papa, Diuo Gregorio, Ioanne XXII. Alexandro III. Innocentio III. ac demum à Concilio Tridentino sess. 24. can. 6. Probatur ex vtu Ecclesiæ, & Apostolorum traditione à Christo deriuata, cuius mentionem faciunt Diuus Augustinus, Diuus Hieronymus, & alij afferentes exempla SS. Teclæ, Cæciliæ, Alexij &c. Hinc inferitur non dirimi matrimonium ratum per vota emissa à quibusdam feminis religionis Diui Dominici, & Diui Francisci, quæ non solemnè profitentur,

sed votis simplicibus solum se alligant. Secundo inferitur, quod licet olim dirimeretur professione vitæ heremiticæ in manu Episcopi &c. quia erat solemnè, modo non dirimitur amplius, quia heremitæ vel nullum votum emittunt, vel emittunt vota solum simplicia. Tertio inferitur, quod quamuis in societate nostra dirimatur per professionem solemnem trium, aut quatuor votorum, non tamen dirimitur per vota emissa à Scholasticis, vel coadiutoribus etiam spiritualibus, quia sunt vota solum simplicia. Quarto inferitur dirimi per monialium, & clericorum ordinum militarium sub clausura viuentium professionem, quia solemnè est. Quinto contra aliquos inferitur dirimi per professionem Equitum militarium Diui Ioannis, siquidem illa est solemnè possessio, & tales equites sunt verè, & propriè religiosi. Sexto, & vltimo inferitur matrimonium ratum non dirimi per ordinem sacrum, vel episcopatum, vt de ordine sacro definitum est à Ioanne XXII. Extrauag. antiqua de voto, & de episcopatu constat ex vtu Ecclesiæ, fatenturque omnes, quia ius de sola solemnè professione hoc statuit; votum autem ordini sacro annexum, est solemnè solum per accidens, nec status episcoporum, cum mors spiritualis non sit, repugnat coniugio ex natura rei, sed solum ex statuto Ecclesiæ.

3. Quæritur, quo Iure professio religionis dirimat matrimonium ratum.

Respondeo tres esse sententias. Prima Diui Thomæ in 4. distinct. 27. qu. 1. artic. 3. quæstiunc. 2. & aliorum docet ex natura rei, ac proinde ex Iure naturali professionem solemnem dirimere matrimonium ratum, tum quia professio est mors quadam spiritualis, & proinde dirimit matrimonium, sicut mors corporalis; tum quia ex natura rei licet ex imperfectiori statu matrimonij transire ad perfectiorem statum religionis, cum non fit iniuria soboli, sicut non fit antè matrimonium consummatum. Secunda Hostiensis, & aliorum docet matrimonium ratum per professionem dissolui solo Iure Pontificio. Tertia Scoti, Abulensis, Victoriz, Soti, & aliorum, quos refert, & sequitur Sanchez disp. 19. lib. 2. num. 3, docet professionem dissoluerè matrimonium ratum ex privilegio Christi, adeoque ex solo Iure diuino positiuo, & hanc sententiam sequor.

4. Probatur: nam professio non habet ex ipsa natura rei vim dissoluedi matrimonium ratum, nec ex Iure Pontificio; ergo ex privilegio Christi, ac proinde ex Iure diuino positiuo. Probatur prima pars. Primo enim si professio ex natura sua dissolueret matrimonium ratum, matrimonium ratum non esset naturaliter indissolubile; siquidem quod per causas naturales dissolui potest, non est naturaliter indissolubile. Confirmatur: nam si matrimonium ratum dissolueretur fornicatione, non esset naturaliter indissolubile; ergo à pari. Secundo ex natura